



Programme
des
Stettiner
Stadtgymnasiums

1839-1853

1854 u 1855







Zu der
öffentlichen Redeübung

welche

Freitag den 27. September 1839 Nachmittags um 2½ Uhr
in dem Hörsaal des Gymnasium zu Stettin
veranstaltet werden soll

ladt

die Beschützer, Gönner und Freunde
dieser Schulanstalt

ehrerbietigst und ergebenst ein

Karl Friedrich Wilhelm Hasselbach,

Doctor der Theologie und Philosophie, Director und erster Professor des vereinigten Königl. und Stadt-Gymnasium, Director des mit denselben verbundenen Seminarium für gelehrt. Schulen, Mitglied der Laténischen Gesellschaft zu Jena und der Königl. Gesellschaft für Nordische Alterthumskunde zu Copenhagen.

Inhalt:

De discipulorum, qui primis Christianorum scholis erudiebantur,
seu de Catechumenorum ordinibus, quot fuerint in vetere ecclesia et Graeca et Latina
scripsit C. F. Guil. Hasselbach.

Partie. I.

und

Bericht über das Schuljahr von Michaelis 1838/39.

Stettin,

gedruckt bei H. G. Effenhart's Erbinn., gr. Wollweberstr. 554.

382634 1838

30-

Książnica Pomorska

A standard linear barcode consisting of vertical black lines of varying widths.

0 0 0 0 3 1 6 8 0 8 7 5



16759

Pr II 08854



H 15

Akc i Nr 1 16

DE
DISCIPULORUM, QUI PRIMIS CHRISTIANORUM SCHOLIS
ERUDIEBANTUR, SEU DE CATECHUMENORUM
ORDINIBUS,

QUOT FUERINT IN VETERE ECCLESIA ET GRAECA ET LATINA

SCRIPSIT

Car. Frid. Guil. Hasselbach.

PARTIC. 4.

Inest uberior explicatio loci Origeniani c. CELS. 3, 51 R.



Aliquot jam anni sunt, cum in commentatione de ecclesia Tyria a Paulino episcopo exstructa p. 2 non satis potui mirari, quam varie ac parum accurate viri docti de variis, quos apud veteres Christianos fuisse opinantur, Catechumenorum ordinibus hic usque disputaverint. Varietatem istam ac dissensionem, in qua pridem fuerint constituti, abundanter demonstrant a me jam olim laudati Sam. Basnagiūs in Exercit. historico-crit. Ultraj. 1692, 4. p. 483—5 et Binghamus Origg. eccles. Lond. 1710—22, 8. vol. 4 p. 16. 17. Ac Basnagiūs quidem Maldonati somnum, quod ex eburnea ei videbatur porta prodiisse, de tertio Catechumenorum gradu conatur discutere: sed vereor, ne, dum dormitantem alium vult e somno excitare, ipse turpiter somniaverit potius, quam vigilanter disseruerit. Tametsi enim hactenus recte adoritur convellere gradum illum, quoad negat collocari in eo posse singularem quandam tertiam Catechumenorum classem, tamen et ipsum oscitanter egisse, cum *audientes*, qui dicuntur in Concil. Nicaen. c. 14, non cum Maldonato ad poenitentes pertinere, sed ad tirones, qui infimum tenerent ecclesiae locum, interpretaretur, id spero mox me planum facturum esse. Eodem jure quatuor illas classes, quarum commento Catechumenorum numerus Bonae Cardinali Rer. lit. 1, 16, 4 accrebit, nusquam se invenisse gentium affirmat. Sed iterum vereor, ne et ipse comminiscatur temere et confingat audientium Catechumenorum ordinem, quem in Conc. Neocaesar. c. 5. simul cum genu flectentibus exhibitum oculis censet, neve magis etiam perturbet totum rei ordinem, quandoquidem audientes istos in duas insuper classes distinguit eamque distinctionem etiam atque etiam vult observari, quippe qua intelligatur antiquitatis ecclesiasticae ratio et solvantur difficultates aliter nubem quasi quandam rei offudentes.

Binghamus autem post refutata ea, quae veteres canonum ecclesiasticorum interpres de duabus tantum vel imperfectorum adhuc vel jam perfectiorum classibus exponunt; post rejectos Beveregii, Suiceri, Basnagii duos, Maldonati tres, Bonae quatuor Catechumenorum ordines ipse numerum quidem ait sibi convenire cum Bona, verum aliis eum partibus constare. Competentes enim et electos ejusdem generis esse nec nisi nomine disjungendos: antecedere autem ceteros omnes istorum classem Catechumenorum, qui privatum extra fores limenque ecclesiae primis doctrinae elementis instituti nondum intromitterentur, ut introitum appeterent eo cupidius, quique satis commode, donec aptius nomen reperiatur, *ξερθεομενοι* vocari possint, cum Concilii Neocaes. canon quintus hoc vocabulo duos ordines complectatur tum eorum, qui privatum adhuc extra ecclesiae fines erudirentur, tum aliorum, qui quamquam in superiorem jam ordinem recepti tamen, si a delictis se non abstinerent, ut poenam luerent vitiositatibus, in inferiorem iterum locum redigerentur. Haec autem distributio quantopere sanae interpretandi rationi repugnet quamque longe idecirco abhorreat a veritate, neque opus erit ut operiosius demonstretur, et satis apparebit ex iis, quae infra ad Neocaesarensis quoque canonis vim et sententiam explanandam afferentur.

Verum ne apud recentissimos quidem rerum ecclesiasticarum scriptores perfugium nobis quamvis ex opinionum fluctuatione emergere tandem cupientibus paratum, ne hic quidem subductis accuratius rationibus certam quandam summam videmus confectam esse. Nam ut bajulos istos atque operarios, qui ipsi in exquirendo vero minime curiosi earum rerum, quas alii vel exquisiverunt vel excoxitaverunt, vecturam factitant, praetermittamus, etiam Neander v. cl. ambigit adhuc de multitudine ordinum, quos subnixus ut sibi videtur testimonio Origenis c. Cels. 3, 51 tres omnino fuisse existimat Antignost. p. 150—1, mox iterum non sine haesitatione in duorum angustias compellit Hist. univ. rel. et eccl. christ. V. 1 P. 2 p. 534. Neque Augustio in novissima antiquitatum Christianarum pertractatione Handb. d. christl. Archaeol. V. 1 p. 144 quicquam satis certum atque explicatum est, sed quod adhuc dubium videbatur esse, id sic incertum in medio relinquit, ut nullum omnino numerum iniri, nihil posse pro explorato dici judicet nisi forte hoc unum, certam ac definitam dividendi legem nunquam in omnes simul veteris ecclesiae partes valuisse, sed aliis locis atque temporibus aliud fuisse more ususque receptum. Quod si ita prorsus esset, periculum sane videretur esse, ne aut actum ageremus retractantes quaestionem

non profligatam modo feliciter, sed etiam ad exitum perductam, aut operam perderemus, ex qua nullus percipi posset nisi vel inscientiae tenebris osae vel aestuantis dubitationis fructus. Verum haudquaquam omnem jam spem nobis praecisam putamus, certius aliquid adhibita diligentiore cura et cogitatione erui ex tenebris posse, quo umbrae tandem, quibus agitati adhuc sumus et inquietati, magis magisque dispellantr.

Ut autem ratione et via procedat disputatio nostra, distinguenda Graeca ecclesia a Latina erit. Nam etsi minime negamus, et principio communia utriusque multa instituta fuisse, et deinde ab utraque invicem secum communicata, fontem tamen quendam, unde cum alii errores fluxerint, tum falsa manaverit de Catechumenorum ordinibus opinio, confusionem esse et permixtionem rei alterutri propriae, nos quidem persuasum habemus. Jam cum e recentiorum numero ille vir doctus, quem priore loco nominavimus, testimonii e solo Origene petiti auctoritate nitatur tantopere et confidat, ut manifesto inde duas certe affirmet Catechumenorum classes apparere, alteram eorum, qui privatim (*κατ' ιδίαν*) erudirentur Christianorum doctrina, alteram, qui spectati jam satis ac probati in fidelium concilium coetumque introducerentur, liceat nobis ab eodem testimonio exordium capere, ut fide ejus, siquidem perspectam eam ac firmatam arbitremur esse, quasi fundamento hujusce disquisitionis utamur.

Inter alias calumnias, quibus et petulanter et acerbe in Christianos Celsus invehebatur, etiam id in crimen vocat, quod a prudentioribus ex ipsorum grege se accepisse jactaverat, doctrinam eorum adeo ab omni eruditione omnique sapientiae studio alienam esse, ut nolint quemquam ad eam accedere praeter indoctos, imperitos, stolidos. Ejusmodi quid cum Origenes non infictetur exire potuisse ex ore Christianorum, quos tamen non nisi perpaucos contendit esse neque intelligentes existimatores, sed hebetes et rudes, quin ne vere quidem Christianos, sed qui putentur tantum esse, appareat inde, jam ab antiquissimis usque temporibus serpere coepisse ac prodire ex ipsius ecclesiae gremio pravam istam opinionem, ex qua fidei simplicitas aduersetur cognitionis et scientiae cupiditati atque investigationi veritatis in profundo astrusae, quae abducta ab opinionibus et a sensibus cognitionis ipsius et mentis est. Quibus argumentis ac rationibus Origenes istam perversitatem refellere, quibus calumniam inde ortam obterere et contundere conatus sit, cum alii apologetae potius, nisi forte ultro commentitiorum deorum vanitatem et futilis philosophorum sententias in-

vaderent, vel singula praecepta ab objecta insulsitatis et ineptiarum specie atque ab aliis adversariorum telis tuerentur, vel a vita Christianorum depellerent oblatas criminationes, hic nihil attinet uberius explicare. Quis enim nescit, Origenem et natum et educatum Alexandriae, ubi omnis liberalis doctrina sedem tunī adhuc et domicilium habebat collocatum, et ipsum ingressum esse interiorum reconditarumque literarum regionem ac viam, et aliis Christianis, quibus datum esset nosse mysteria regni coelestis, perfectiorem rerum divinarum intelligentiam vindicasse ex abditis Scripturae sacrae fontibus hauriendam? At Celsus quoniam fidem semel adjunxerat peritoribus suis, efficit inde, quae, si prima concesserimus, videntur omnino esse consequētia, Christianos, qui doctrinae suae praecepta tradant, comparandos esse cum circulatoribus circumforaneis, qui prudentium quidem virorum coetum non inēant neque inter hos audeant praestigias suas ostentare, sed ubi conspexerint puerulos et vernarum turbam fatuorumque hominum circulos, eo se intrudant ibique sua inaniter venditent. Respondet contra haec Origenes, comparationem istam minime cadere in Christianos, qui S. Scripturae recitatione et interpretatione adhortentur ad pietatem erga deum et consociatas cum eo virtutes, avocent autem a numinis contemtu et ab actionibus rectae rationi non consentaneis. Optandum certe etiam philosophis esse, ut congregent tot auditores sermonum ad honestatem invitantium, velut e Cynicis quosdam publice verba fecisse ad quoslibet ex trivio collectos. Quod quando neque Celsus nec quisquam ex eadem familia iis exprobraverit, videndum, annon magis etiam et melius Christiani imperitum vulgus ad vitae honestatem adducant. Philosophos enim publice disputantes non discernere studiosos auditores, sed quisquis velit adstare et auscultare. Χριστιανοὶ δὲ inquit, κατὰ τὸ δυνατὸν αὐτοῖς προβατανίσαντες τῶν ἀκούειν σφῶν βουλομένων τὰς ψυχὰς καὶ κατ’ ᾧδιαν αὐτοῖς προεπάσαντες, ἐπὰν δοκώσιν αὐτάξιμως οἱ ἀκούσαται περὶ εἰς τὸ κονὸν εἰσελθεῖν ἐπιδεδωκέναι πρὸς τὸ θέλειν καλῶς θιοῦν, τοτηνάδε αὐτοὺς εἰσάγοντιν ᾧδια μὲν ποιήσαντες τάγμα τὸν ἄρτι ἀρχομένων καὶ εἰσαγομένων καὶ σύζεπτω τὸ σύμβολον τοῦ ἀποκεκαδάζεται ἀνεληφόταν, ἔτερον δὲ τὸ τῶν κατὰ τὸ δυνατὸν παραστησάντων ἑαυτῶν τὴν προσάρτεσιν οὐκ ἄλλο τὸ βούλεσθαι ἢ τὰ χριστιανοῖς δοκοῦντα· παρ’ οἷς εἰσὶ τίνες τεταγμένοι πρὸς τὸ φιλοπευστεῖν τοὺς θιοὺς καὶ τὰς ἀγωγὰς τῶν προσιόντων, ἵνα τοὺς μὲν τὰ ἐπιόρητα πράττοντας ἀποκωλύσωσιν ἥπει τὸν κονὸν αὐτῶν σύλλογον, τοὺς δὲ τοιούτους ὅλη ψυχὴ ἀποδεχόμενοι βελτίους ὁσπερέσαι κατασκευάζωσιν οὐα γ’ (vulg. δ’) ἔστιν αὐτοῖς ἀγωγὴ καὶ περὶ αἵματανόντων καὶ μάλιστα τῶν ἀκολαστανόντων, οὓς ἀπελαύνουσι

τοῦ κοινοῦ οἱ κατὰ τὸν Κέλσον παραπλήσιοι τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιφόρτωτα
ἐπιδεικνυμένοις.

Exhibui locum levibus maculis, quibus adhuc adspersus erat, perpurgatum. Ostendit ibi Origenes, quantam curam Christiani non delectu omni ac discriminine remoto miserae plebeculae sua propinantes adhibere soleant de iis, quos in coetum suum recepturi sint. Quippe pertant, inquit, eorum animos antea et privatum velut incantamentorum carminibus deliniunt ac permulcent. Deinde ubi satis, priusquam aditus iis pateat ad concionem publicam, videntur profecisse in consilio honeste vivendi, tunc eos introducunt separatim facto ordine horum, qui recens introducunt necdum purificationis symbolum acceperunt, alteroque eorum, qui quantum in ipsis est probaverunt, nihil aliud se velle, quam quae Christianis placeant: apud quos constituti quidam sunt ad percontandum de vitae instituto moribusque accendentium, ut vitiis ac dedecore infames a conventibus suis arceant, istorum autem dissimiles ex animo recipient melioresque in dies reddant: quali quidem ratione utuntur etiam adversus peccantes, in primis adversus libidinose viventes, quos a Christianorum communi abigunt.

In his verbis equidem nequeo infinitas ire, plures Catechumenorum ordines me nusquam quantumvis scrutantem omnia et quaerentem reperire. Universum enim Christianorum genus Origenes in duas dividit species quasdam, unam nondum initiatorum Iustificationis ritu, alteram fidelium, qui sacris jam imbuti animum induxerunt dirigere vitam ad fidei Christianae normam. Itaque hic sicut ubivis integrum relinquit atque individuam Catechumenorum multitudinem nec ceterorum quidem Christianorum numerum, quod tamen aliis locis, ubi res videretur postulare, nunquam facere omisit, in peritiores iterum atque imperitiores dirimit. Sed verendum mihi propemodum est, ne, cum duae certe Catechumenorum classes non delitescere ibi, verum aperire se et proferre palam dicantur, caecutiare in media luce arguar. Quare acriorem intendamus in omnes partes aciem, ne nos forte turpiter fugiat, quod aliorum scilicet oculis ac manibus tenetur.

Distinguuntur, inquit, perspicue, qui intra privatos adhuc parietes continebantur erudiendi, ab iis Catechumenis, quibus jam licebat coetu publico interesse quique instituebantur ad ipsum baptismum jamjam ingrediendum. At primum hic existit quaestio de privata ista doctrina, qualem qui tam manifesto eam reprehendunt in auctoris nostri verbis, intelligi velint. Nam privatus nemo

unquam Catechumenorum praceptor fuit, sed qui instituebat tirones in fide ac rudes, fungebatur munere ab episcopo sibi publice mandato: id quod tam communi sancitum consuetudine et lege erat, ut ne ipsius quidem Origenis exemplum possit inde eximi. Quainvis enim, cum juvenis adhuc aetatis annum decimum octavum agens arti grammaticae quam profitebatur tradendae vacaret neque quisquam Alexandriae studium dicaret Catechumenorum eruditioni, sed omnes persecutionis sub Severo excitatae terrore ac minis ex urbe essent exturbati, e gentilibus nonnulli, de quibus Eusebius Hist. eccles. 6, 3 ex ipsius commentariis memorat, privatum eum videri possint adiisse verbum dei audituri: tamen persuasum nobis esse debet, non prius eos hoc verbo fuisse impertitos, quam scholae catecheticae praefectus esset Origenes, neque potuisse eundem praeesse publico docendi muneri atque officio nisi delato sibi publica episcopi auctoritate, cum legamus paulo post apud Eusebium, ei soli fuisse scholae illius curam a Demetrio ecclesiae Alexandrinae antistite demandatam. Neque in privatam vitam statim se abdit is, qui in privataram aedium umbraculis datam sibi docendi provinciam administrat. Privatorum autem domicilia fuisse, in quibus magistri officium exsequeretur Origenes, non ut opinatur Valesius ad Eusebii H. e. 6, 19 ex eo potest colligi, quod Demetrius objugaverit Alexandrum Hierosolymitanum et Theoctistum Caesariensem episcopum de permissa Origeni potestate publice docendi in ecclesia, cum sermones ibi intelligendi sint ad coetum Christianum habiti, quibus laicus adhuc, quod nondum interdictum erat, S. Scripturam interpretaretur, sed ex eo Eusebii loco H. e. 6, 3 ubi memoriae prodit, in quacunque domo Origenes instituendis novitiis operam dederit, undique eum ab immissis militibus propter magnam affluentium discipulorum frequentiam fuisse expulsum.¹⁹ Nam qui ex aliis in alias domus perfugit, ut quasi officinam ibi doctrinae instruat, non habet publicam eamque stabilem ac certam docendi sedem, qualem ne Rufinus quidem ei assignasse putandus est. Fallitur enim ipse, qui hunc Eusebii interpretem erroris crimen vult arguere, Valesius opinione, collocatum ab eo magistrum Origenem in aedibus sacris fuisse, cum Eusebium faciat narrantem, a Demetrio catechizandi i. e. docendi magisterium in ecclesia Origeni fuisse tributum. Quippe ecclesiae vocabulo eum non voluisse locum catecheticae institutioni designare, vel ex hoc possumus cognoscere, quod ecclesiam non copulavit cum verbo docendi, sed cum magisterio, ut inde satis perspicuum sit, significasse

eum munus in Alexandrinorum Christianorum coetu Origeni mandatum sive munus ecclesiasticum, quod publicum quidem, sed non sacerdotale esset. Quapropter nec Binghamo l. 1. 3, 10, 4 V. 2 p. 54 de interpolatione ac falsa paraphrasi querendum cum Rufino atque expostulandum magnopere erat, nisi, ut fere suo judicio parum uti solet, sibi fraudem a Valesio fieri passus esset. Pejus etiam rem gerit Guil. Boehmer in Antiquitatum Christian. doctrina (v. 1 p. 292), quam ad criticam videlicet rationem atque ad artem et praecepta se revocasse gloriatur, ubi ita subsidio venit Rufino, ut verba ejus »in ecclesia« explicet de domo ad ecclesiam pertinente et in ejus confinio sita: quod interpretationis auxilium et loquendi usus et temporum, quibus nondum aedificabantur ecclesiae tam late patentes, ordo a nemine impune perturbandus diluit plane atque confutat.

Quodsi igitur ne Origenis quidem aetate alii Catechumeni ab aliorum institutione publicaque scholae frequentia semoti privato tradi praeceptor possunt, sic tamen diducendi fortasse in duplicem numerum ac scindendi videntur, ut alteri minus disciplina eruditri retinerentur adhuc intra scholae cancellos, dum alteri parti, quae majores jam progressus in studiis suis fecisset, aditus ad Christianorum coetus non amplius intercludebatur. At cum ipsi jam admissi vocentur ab Origene tirones adhuc et rudes, qui prima fidei elementa modo coeperint ediscere, quis est, quin eosdem intelligat non posse quasi in altiore quam alios Catechumenos gradu reponi, neque, cum iidem dicantur nondum lustrationis symbolum accepisse, id quod Suicerus Thes. eccl. T. 1 p. 542 satis bene perspexit, separandos hos esse ab aliis, qui minus prope accesserint ad baptismi sacramentum?

Haud alienum autem a re fuerit monere, τῶν εἰσαγομένων nomen, quo appellantur Catechumeni, hic quidem proprie referri ab Origine ad morem, non quemlibet innatorum triviis ac forensium hominum intromittendi in aedes sacras. Qui hic vocantur οἱ ἄρτι ἀεχόμενοι καὶ εἰσαγόμενοι, iidem mox sunt οἱ κατ' αεχάς εἰσαγόμενοι: sed qui deinde (3, 53 R.) simpliciter οἱ εἰσαγόμενοι e regione τῶν τελείων, hi jam abeunt in translatam illam significationem, qua qui primis alienijs disciplinac initii imbuuntur, ad eam dicuntur induci. Sic 2, 4 R. τοῖς εἰσαγομένοις ἡ προκυπτή ἐστι: 2, 40 ἔτι εἰσαγόμενοι οἱ μαθηταὶ καὶ ἀτελέστεροι: 3, 15 τοῖς περιτον (ita leg. ex Boherelli emendatione, non περιτοις: supra κατ' αεχάς) εἰσαγομένοις opponuntur οἱ δυνάμενοι ἀκούειν συνετάτερον, jam προτραπέντες καὶ εἰσαχθέντες. Sic Euseb. Praep. evang. 1, 5 p. 14 Vig. ἐν εἰσαγωγῇ τοὺς

ἀρχομένους τῶν ἰδιωτικωτέρων — ἐπὶ τὸν εὐσεβῆ βίον χειραγωγοῦντες: 12, 1 p. 573 τοῖς μὲν ἄρτι εἰςαγομένοις καὶ τὴν ἔξιν ἀτελέστιν — τοῖς δὲ τὴν ἔξιν προβεβηκόσι καὶ πολοῖς (respicit τοὺς γέζοντας in allato Platonis loco) τὸ Φρόνιμα: Hist. eccl. 10, 4 p. 380 D. (p. 235 Hein.) καὶ πεώτη μὲν εἰςιόντων αὕτη διατεθῆ — τοῖς τῶν πεώτων εἰςαγωγῶν ἔτι δεομένοις κατάλληλον τὴν μονὴν παρεχομένη, ubi cum proprietate verborum copulatur translatio, sicut in superiore, quem laudavimus, loco Origeniano.

Constat ergo, nisi omnia me fallunt, in unum Catechumenos ordinem concludi ab Origene et comprehendi, omnesque uno hoc ordine comprehensos distingui a fidelibus jam baptizatis eodem modo, quo Eusebius Demonstr. evang. 7 p. 323 opinatus eum, qui ex Esaiae verbis relictus fuerit in terra et nutriturus sit juvencam boum et duas oves, posse transferri ad apostolorum atque evangelistarum chorū, dicit unumquemque ex his instituisse tria καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν τάγματα, ἐν μὲν τῷ τῶν ἱγουμένων δύο δὲ τῶν ὑποβεβηκτῶν, τοῦ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ λαοῦ εἰς δύο τάγματα διμημένου εἰς τὸ τῶν πιστῶν καὶ τῶν μηδέπω τῆς διὰ λοιποῦ παλιγνενεσίας ἡξιωμένων i. e. Catechumenorum. Nec secus Origenes etiam in aliis locis, velut Hom. 18 in Jerem. p. 172 E. Huet. (§. 8 R.) καὶ τῶν ἀκούοντων οὖν ταῦτα εἴτε κατηχουμένων καταλιπόντων τὸν ἑνικὸν βίον εἴτε πιστῶν ἥδη προκεκριφτῶν ἐν τῷ τοῖς ἁμπροσθεν ἐπεκτείνονται κ. τ. λ. Quapropter Beveregius in can. conc. Nic. prim. 14 p. 81 id quidem animadvertisit recte notavitque omnes Catechumenos, quorum alii, ut fit, plus proficerint in veritatis cognitione, alii minus (sicut Origenem legimus in Euseb. H. e. 6, 15 totam itantium ad se affluentiam, cum non amplius solum se satis posse doctoris officio facere arbitraretur, in duas ejusmodi classes unius scholae distribuisse) indistincte atque promiseue in unum ecclesiae locum solitos fuisse conduci. Verumtamen in eo errat, quod Origenem Comment. in Matth. 15 p. 261 A. Hu. XI, 18 R. interpretando explicantem de sanatis turbis ita intelligit, acsi voluerit Catechumenos in ultimo sacrarum aedium loco constituere. Comparat enim interpres noster montem, in quem iterum Christus ascenderat, cum ecclesia supra reliquam terram erecta, deinde mutata imagine ecclesiam cum ipsius Christi in monte sedentis corpore, ad cuius pedes variis morbis affecti projiciantur. Quodsi quis dicat, projectos illos ad pedes Christi i. e. post fideles, qui numero suo totum ecclesiae corpus usque ad extremam ejus partem complent, μητὰ τοὺς τελευταῖους, Catechumenos esse a sanitate alienos et ad petendam a Christo medicinam agressos, eum non versari in errore. Ut hic omnino non agitur

de aedibus sacris earumque infima extremitate, sed de credentium multitudine, quae vulgariore nomine ecclesia dicatur, τῷ τῆς κοινότεον ἐκκλησίας λεγομένης αἴθοισματι: sic testatum hoc loco satis atque in promptu iterum est Catechumenos, qui ne ultimum quidem istius congregationis locum obtineant, sed proprius tantum accesserint, ipsos in eundem numerum omnes congregari. Neque ex Areopagitae verbis Eccl. Hier. 3 contempl. 5, quae Beveregius ad firmandam opinionem suam afferit, de statione Catechumenorum in Narthece quicquam potuit elici, etsi paraphrastes, ad quem majore jure quam ad Maximi scholia provocandum erat, Catechumenorum ordinem circumloquendo enuntiat per τὴν τάξιν τῆς στάσεως. Vox enim τῶν τάξεων, qua sexcenties utitur Hierarchiae auctor (cf. libr. 5 et 6), nusquam apud eum aliud significat praeter ordines, per quos totum populum Christianum disponit non habita loci ratione, ubi per aedes sacras fuerint statuti, ab eaque significatione minime abhorret Origenianum τάγμα nostrum; quod nisi per se jam satis esset perspicuum atque appareret simul et exstaret ex simpliciore aedium istarum, quales Origenis aetate erant, exstructione, in qua nulladum mentio fit narthecis a reliquis templi partibus artificiose opere disjunctae, valde probaretur subsequentis verbi τάξεων usu ad loci descriptionem nequaquam trahendo.

Attamen residet adhuc scrupulus aliquis, qui nos pungit paululum ac stimulat, injectus ille a scriptoribus nescio quid tradentibus de adulterinorum librorum in vetere ecclesia lectione. Etsi enim non ignoramus, concilium Laodiceum vetuisse can. 59, publice recitari libros non canonicos, Cyrillum Hieros. autem, postquam admonuerit Catechumenum (Cat. 4, 35 Toutt.), ut ne quid ei sit cum apocryphis, sed in iis tantum libris, qui in ecclesia quoque legantur cum fiducia, operam studiumque ponat (πρέστε τὰ ἀπόχρυφα μηδὲ ἔχει κοινόν ταύτας μόνας (βίβλους) μελέτα οπούδαις, ἃς ἐν καὶ ἐν) ἐκκλησίᾳ μετὰ παρήστας ἀναγνώσουμεν), interdicere etiam (4, 36), ne privatim apocrypha legat (τὰ δὲ λοιπὰ πάντα — praeter libros canonicos — ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ, καὶ ὅσα μὲν (leg. μή) ἐν ἐκκλησίᾳ ἀναγνώσηται, ταῦτα μηδὲ κατὰ σαντὸν ἀναγίνωσκε, παῖς ἥποντας). Nihilominus tamen ex Euseb. H. e. 3, 3 discimus, librum, qui Hermae Pastor inscribitur, ab aliis quidem dubiae auctoritatis habitum, ab aliis vero maxime necessarium fuisse judicatum iis, qui primis adhuc rudimentis egerent (οἵς μάλιστα δεῖ στοιχειώσεως εἰσαγωγῆς): unde publice lectum etiam librum in ecclesiis esse. Accedit eodem fere Athanasius quoque, qui in epistola

Paschali 39 T. 2 p. 45 Commel. praeter canonicos libros a patribus etiam alios, in iisque Pastorem, scribit destinatos esse qui legerentur accedentibus modo ad doctrinam Christianam camque volentibus edoceri (*πειτοπαμένα παρὰ τῶν πατέρων ἀναγνώσκεται τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖται τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον*). Hic specie quadam non negamus nos commoveri posse, ut discernendos putemus, qui *celint* modo Christianorum praeceptis imbui, ab iis, qui jam imbuantur. At inanem esse istam speciem mox animadvertemus. Primum enim eosdem volentes apud eundem Athanasium in synopsi script. T. 2 p. 63, ubi post canonicos V. T. libros enumerantur ἔτερα βιβλία οὐ ναοντόφεντα μὲν ἀναγνώσκομενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις, Catechumenos jam videmus vocari. Deinde cum Eusebius 1. 1. dicat publice recitatum, a lectoribus puta, in ecclesiis se scire Pastorem illum (ἐν ἐκκλησίαις δεδημοσιευμένον cf. H. e. 2, 23 fin.), nihil inde effungi atque effici potest ad suum ordinem discipulis privatis vindicandum, qui ad publicos Christianorum coetus dicuntur nondum fuisse adsciti. Denique etiam ex pervulgatis apud omnes Hieronymi (praef. in libros Salom.) et Rufini (in Symb.) locis apparebant scripturas non canonicas quidem, sed tamen ut Hermae Pastorem ecclesiasticas, ab apocryphis distinguendas, solitas fuisse in ecclesiis legi ad aedificationem plebis sive eorum, »qui prima sibi ecclesiae ac fidei elementa susciperent«, i. e. non Catechumenorum modo, sed omnium etiam, quibuscumque per ingenii imbecillitatem non liceret tirocinii rudimenta ponere, ad quorum instructionem Rufinus ait visum esse eas designare, ut scirent, ex quibus sibi fontibus verbi dei haurienda essent pocula: quamquam Sapientiae certe librum Augustinus de praedest. 1, 14 resert meruisse in ecclesia Christi de gradu lectorum recitatum ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos, fideles, poenitentes, Catechumenos, quos non distrahit in plurium classium varietatem, cum veneratione divinae auctoritatis audi.

Sed quinam tandem sunt, quos privatim explorari prius et spectari Origenes dicit, quam aditus iis detur ad publicam Christianorum consociationem? Mihi quidem hoc si quid habet quaestionis, non difficile videtur ad persolvendum, modo intentiore paulo animum advertamus ad rationem, qua procedat oratio. Posteaquam enim crimen Christianis a Celso illatum Origenes quasi retortum eriminanti ingressit, ad philosophos quemlibet repente illotis pedibus devertere, demonstrat Christianos non item quemvis unum e populo sine ullo delecta recipere in disciplinam, sed exquirere privatim antea accedentium mores et

scrutari, utrum idonei sint, qui recipientur. Itaque omnino ne discipuli quidem intelligendi sunt, nedum certus quidam eorum ordo quantumvis abditus in privati umbraculi obscuritatem. Obversari autem hic jam ante oculos ei videtur exemplum Pythagoreorum, quorum scriptis delectatum eum constat (cf. Huet. Origen. 2, 1, 4), quorumque scholam mox memorat venerandam, quippe in qua Cenotaphiorum mos servatus sit Christianorum similis consuetudini lugendi tamquam deo mortuos, qui voluptatibus succubuerint. Quamquam de Cenotaphiis quidem haud levia sane argumenta dubitationem afferunt, num omnino fuerint erecta, cum praeter scriptores inde a secundo demum post C. n. saeculo, Clementem Alexandrinum et Origenem, Nicomachum, Diogenem et, qui suos ex duobus hisce rivulos duxit, Jamblichum neminem ex veteribus ejus rei testem atque auctorem habeamus gravem satis ac locupletem, cumque ipsa illa documenta quibus testimonium suum confirmare Origenes conatus est, apertam quandam fietae et commentitiae fabulae speciem prae se ferant.*) Verum

*) v. A. B. Krische De societatis a Pythag. in urbe Croton cond. scopo polit. comment. Goetting. 1830, 4. p. 26—7. Argumentis ab eo allatis potest addi, quod c. 34 s. 246 res ad famam tantum refertur quodque nonnisi primo, qui arcanam Pythagorae disciplinam enumaverit, Cenotaphum traditur exterratum esse. Nostrum Origenis locum Krische praetermisit. Cf. Spencer. ad Orig. c. Cels. 2, 12 Potter ad Clem. Al. strom. 5, 245 (p. 574 Sylb.) Menag. ad Diog. Laert. 8, 15. Si cum Bentlejo in Respons., quo dissert. de epist. Phalar. vind. Opuscc. ed. Lips. 1781. p. 194—6 in suspicionem adducimur, duos fuisse Pythagoreos ejusdem nominis et historicos permisceuisse duos Lysides, alterum ipsius Pythagorae discipulum, alterum praeceptorem Epaminondae, id certe temporum rationibus non videbitur repugnare, quod Diogenes memoriae prodit, Hipparchum quendam ejectum illum et Pythagoreorum societate aequaliter fuisse priori Lysidi et potuisse saltem scriptas ab hoc litteras accipere, e quarum verbis *εἰ μή παταζότοι, Χερόποιος εἰ δη μήνε* (Diog. Laert. 22), *τίθανται* (Diog. La. et Greg. Naz. addunt *μηνι*) fortasse tota de Cenotaphiis fabula originem traxit. Earum tamen auctoritas infringitur non tam perverso satis et perturbato, quo Jamblichus eas exhibet, ordine neque insulsa de intemparantiae vitio disputatione, quam eo, quod scriptor earum a Platone videtur imaginem lanae coloribus incendiæ mutatus esse. E Bentleji armamentario Wesselingius arma petit ad impugnandum fidem Diodori praeter alias tricas 16, 2 narrantis etiam, Epaminondam philosophiae Pythagoricae aemulum et condiscipulum habuisse Philippum Macédonem. — In Eusebii H. E. 4, 8 *κωντάρια* (non *κωντάφια*, quemadmodum etiam in Palladae epigr. 64. Anthol. Gr. ed. Jacobs T. 3 p. 128 Palat. T. 1 p. 515 *κωντάφια* e cod. Vat. non *κωντάρια*. legendum) significare simulacula Strothius jam argumentis persuasilibus docet. Poterat eorum pondus augere explanato apertius Eusebianorum verborum nexus. Dicitur enim Hegesippus ibi



quo plus dubitationis adsimulata ista sepulcerorum monumenta habent, eo testatius ac manifestius a Pythagoreis tenebatur mos inquirendi in profitentes nomen suum, utrum digni essent censendi, qui in sodalium numerum adscriberentur. Quomodo autem magister indagando mores naturasque eorum qui cuperent in sodalitium adscisci, hanc dignitatem exploraverit quibusque virtutibus commendatam habuerit, discimus ex Jamblichi et Porphyrii locis jam a Meinersio collectis. *) Traditur quidem etiam Aristoteles discipulos, antequam ad disciplinam admitterentur, diligenter tentasse (Gell. 20, 5). Hic tamen spectabat adolescentes ex ingenii facultatibus, ex eruditionis elementis, e studio et industria, Pythagoras fere judicium faciebat ex habitu animi et integritate vitae anteactae: ac sicut idem noluerat exire doctrinam suam atque emanare in vulgus imperitorum, quippe suos vetans in proposito philosophari, qui idecirco dicuntur reprobasse cauponantes doctrinam et animas ut diversorii fores apertientes cuivis obvio (*παρατίθεσθαι τοὺς τὰ μαθήματα καπηλεύοντας καὶ τὰς ψυχὰς ὡς πανδόκειν βίᾳς ἀνοίγοντας παντὶ τῷ πρεσβύτερῳ τῶν ἀνθεώπων* Jambl. v. Pyth. c. 34, s. 245), sicut personatus ille Origenes in Philosophumenorum prooemio ab haereticis narrat eos, quos periclitando suspensos aliquamdiu tenuerint, deinde commentorum suorum sacris initiarint, vel jurispercurti devinctos religione fuisse, nihil se ex mysteriis sibi traditis enuntiatus nec quicquam inde communicatus cum obviis quibusque: ita verus etiam Origenes veris Christianis tribuit consuetudinem prudenter temperatam non impertiendi doctrinam suam nisi hominibus

aetatem, qua vixerit, ipse indicasse scribens ita fere, qui initio idola statuerint, eos usque adhuc simulacula fecisse in divinum mortalium honorem, ut ad eosdem idem referatur et τὰ εἰδώλα θέργια et κνοτάφια ποιῆι. Si novissimus Eusebii editor inspexisset Hesychium Albert. v. κνοτάφια, vidisset sive calami lapsum illum sive erroram typographicum, quo 1 Sam. 19 laudatur pro 1 Reg. 19, quamquam ab Hemsterhusio jam correctum ex Albertio tamen transisse in notam Strothii. De LXX autem interpretum usu ipse potuisse a Schleusnero in Lex. edoceri ea, quae E. G. Gersdorf repetita inde et copulata cum Jacobii animadversione ad Anthol. Gr. V. 2 P. 3 p. 234—5 ei tanquam e suea doctrinae copiis prompta scripsit in epist. crit. p. IX—X.

*) Gesch. d. Wissenschaft. T. I p. 452 not. Emendatio loci Jamblichiani c. 17 init. melius cessisset Kiesslingio, si noluisset scriptoris verba suo τινῶι amplificare. Contrario vitio debebat mederi c. 34 s. 246, ubi non versio corrigenda, sed lectio vulgata sic, ut pro τῷ πετρὶ ιτιέσον γνωμένοι legatur τ. π. ιταιέσον γ.

spectatis antea ac probatis: ad quam prudentiam adhibendam jam exhortari videtur praeceptum istud, ne sanctum detur canibus, nec margaritae suibus projiciantur.

Similitudo igitur illa, quam sumtam et translatam a Pythagoricorum ratione putamus, quemadmodum Cicero Tusc. 4, 4 multa, inquit, sunt e nostris institutis ducta ab illis, ad singula etiam vocabula pertinet de re fere eadem utrobique usurpata. Quorum enim animos Christiani feruntur προβασανίζειν, ii apud Pythagoreos dicuntur διδόναι βάσανον τῶν οἰκείων ἡθῶν et de incantandi (τοῦ ἐπαθέν) verbo quis est qui nesciat, a Pythagora et corporis et animi morbis medicinam factam esse musicae remediis, apud Pythagoreos nervorum vocumque cantum non patuisse modo latissime, sed tanquam domicilium ibi cum ad pellen-dos sive incitandos tum ad sedandos et reprimendos animorum motus collo-casse, ut ab hoc quasi fonte ac capite et Plato frequentem ejusdem verbi usum, qui in metaphoricam transiret docendi, monendi, leniendi significationem, et ecclesiastici etiam scriptores videantur deduxisse. Egerunt de hoc usu praeter eos, quos Astius conferri jubet ad Plat. d. legg. 8, 6 p. 408, Wytt-enbachius ad Plat. Phaed. p. 77 E. (p. 194—5 ed. Lips.) et Segarius ad Clem. Al. librum Quis div. salv. 42 p. 393—4. Inter locos autem a Wytt-enbachio, laudatos Jamblichi quoque est d. vit. Pyth. c. 25. s. 114 cui corrigendo quippe in editis libris apertissima corruptela laboranti non possem quin operam hic navarem, nisi sanandi cura, cum a Lobeckio jam ad Phrynic. p. 243 emenda-tione, quam ut par est eo feliciorum judico esse, quod et ipse olim in eam incidi, velut in transcursu sanatum eum esse existimem, nunc commode esset supersedendum. Nimurum verba ibi sic vulgo leguntur: ἔστι δὲ καὶ ὅτε ἄνευ λέξεως μελισμάτων ὅπου τε καὶ πάθη καὶ νοσήματά τινα ἀφυγίαζον, ὡς φάσι, ἐπάδοντες ὡς ἀληθᾶς· καὶ εἰκὸς ἐντεῦθεν ποθεν τούτοις εἰς μέσον παρεληλυθένται τὸ τῆς ἐπωδῆς. Conjecturam, ex qua Koenius ad Gregor. Cor. p. 255 Schaefero Rhoeriano ὄμοῦ substituit πένους τε quamvis probatam et Boissonado et ut vide-tur Schaefero satis gravi arguento refutat novissimus Jamblichi editor. Ipse tamen tota re erravit opinans, rem ipsam docere sic fere legendum: ἐ. δ. κ. ὁ. ἄνευ μελισμάτων ψιλῇ λέξει vel διὰ ψιλῆς λέξεως κ. τ. λ. Rei enim natura ejus-modi lectionem aspernatur plane desideratque contrariam. Nam si nonnumquam vel nuda verborum pronuntiatione non instructa nervorum modis neque variis canendi sonis rescripta Pythagorei perhiberentur corporis aut animi affectiones

persanasse, statim intelligi nullo pacto posset, quomodo sine cantu incantandi, ut ajant, vocabulum propria ac vera potestate dicantur usurpasse. Non obmutescere autem cantandi sono quid ad rei rationem aptius, quid magis consentaneum narrationi antecedenti, quam cum audiverimus modo, mentes eorum, qui cubitum essent ituri, carminibus quibusdam modisque peculiaribus (*ῳδαῖς τοῖς καὶ μελῶν ἴδιώμασι*) expurgatas a diurnis perturbationibus fuisse et ad tranquillitatem traductas, eorum autem, qui surgerent e cubili — jungenda enim verba e codice Ciz. *ἐξαντάμενοι τῆς κοίτης* — a torpore iterum soporisque gravitate liberatas alius generis cantibus (*δι ἀλλοτρόπων ἀρμάτων*), nunc contra de more narrari, quo interdum etiam omissis verbis solo vocis incantamento soliti fuerint et animi affectibus et morbis mederi? Accedit eo, quod nihil facere fidem nobis potest, Pythagoreos unquam simplicibus verbis non sociata seu cantus seu chordarum concordia usos fuisse ad mentes vel concitandas vel componendas et resolvendas. Nam quod paulo ante s. 111 legimus adhibuisse eos ad animorum emendationem Homeri et Hesiodi selectos versus (*χεῦσθαι δὲ καὶ ὄρησον καὶ Ἡσιόδου λέξεις εἰς εἰλεγμέναις* (s. 164 διειλ.) πρὸς ἐπανόρθωσιν ψυχῆς), hoc referri eo prorsus nequit, quia mox, praeterquam quod ubi de musicae vi atque usu exponitur, ibi parum verisimile est commemorari consuetudinem a musica alienam, Empedoclis exemplo demonstratur, horum etiam versuum voces fidibus fuisse junctas.

Confirmatur autem emendatio nostra non obscure iis, quae tradita jam superiore loco c. 15 s. 65—6 reperimus, unde, sicut par est in tam rudi atque indigesta libelli mole, pleraque iteratis verbis repetuntur: quamquam Kiesslingius quidem nihil inde, quod ad hujus loci lectionem constituendam magnopere valeat, hauriri posse arbitratur. Legimus ibi quoque, Pythagoram discipulos, cum evigilassent, a nocturno languore liberavisse per singulares quosdam cantus et modos, qui merae temperationis vi pollentes vel lyrae vel etiam vocis ope conficerentur. Qualis autem temperatio ista sive mixtura fuerit, disimus e sect. 64, ubi Pythagoras dicitur divina quadam sollertia in familiarium usum excogitas concinnasse compositiones (*κεράσματα*) modorum diatonicorum et chromaticorum et enharmonicorum, quibus animorum affectus recens subortos rationisque expertes facile in contrariam partem fletterent et ad virtutis normam dirigerent tamquam compositis medicamentis (*συγκενταμένοις Φαρμάκοις*) salutibus sibi subvenientes. Unde major etiam apparent horum modorum similitudo

illa a Plutarcho de Is. et Osir. T. II p. 383 collata cum Aegyptiorum cyphi, quod suffimenti genus dicitur habere οράσιν ἐπαγωγὴν i. e. mixturam sensus ita delinientem et perimulcentem, ut diurnas curas velut adstrictum funem a contentione relaxet: simul causa cognoscitur, cur Jamblichi οράσιν non liceat in οροῦσιν, quae Kusteri conjectura est a Kiesslingo immutata paulum, non improbata, depravare.

Deinde voce illa, qua cantus et modi formarentur et ederentur, non ad chordarum sonum sed simpliciter cantatum fuisse, ex his puto luce clarius apparebit. Ipsum Pythagoram enim legimus non comparasse sibi quoque ejusmodi cantiunculas, sed aurem animumque intendisse ad percipiendos sublimiores mundi, quem ad harmoniam existimabat canere, concentus impulsu et motu ipsorum orbium confectos iisque satiatum et quasi irrigatum, cum discipulorum aures sonitum totius mundi incitatissima conversione effectum sincerumque summae dissimilium concordiae exemplar capere non possent, excogitasse imaginum quandam similitudinem ad imitandum exemplar istud, quod ipse solus tamquam sensu comprehensum teneret. Memoratur res a Cicerone in pervulgato loco Somn. Scip. 5, ubi falso interpretes »doctorum hominum« nomen ad poetas velut Orpheum et Amphionem referunt: a quo errore sibi potuissent cavere haud immemores, prope omnia ibi de tanto et tam dulci sono intervallis conjuncto imparibus, etiam exemplum eorum, qui intueri adversum solem nequeant, repetita esse ex narratione, qualis apud Jamblichum exstat, de Pythagora: unde intellexissent, doctos illos eosdem esse, quos Quintilianus I, 10 appellat claros nomine sapientiae viros, Pythagoram atque eum secutos. Jam cum sapiens hic mundani concentus auribus discipulorum non percepti imitatione non verba ex isto, qualia nulla putabat inesse, sed sonos tantum, quos mente ac cogitatione conceptos exaudire sibi videbatur, posset exprimere, nemo sane dubitabit, quin animorum et incitationem et moderationem etiam ad solos vel organorum vel vocum e gutture fusarum sonos redegerit. Quid, quod ipse Jamblichus explanatus etiam hoc confirmat verbis sect. 66 διδ τε ογγάνων καὶ διδ ψιλῆς τῆς ἀρτηγίας, quibus superiora minus explicata sect. 65 διδ λύγας ή καὶ φωνῆς et διδ ογγάνων ή καὶ ἀρτηγίας repetuntur. *)

*) Minus plane et aperte Porphyrius 30: χιττεύλης (Pythagoras) δὲ ἐνθρόνης καὶ μίλοι καὶ ἵπηδαις τὰ φυσικὰ πάθη καὶ τὰ σωματικά, cum 33 ἵπηδαις per μαρτιανὸν videatur explicare.

Ita demum omnis constat musicae usus in Pythagoreorum more institutoque positus simulque Jamblichi loco, a quo exorsi sumus, lux assertur plenissima. Plerumque enim ad movendos leniendosque affectus non adhibebatur simplex cantus modos quidem et numeros, at verba nulla complectens, sed canebantur potius ad lyram carmina παιῶνες dicta (Porphyrius commemorat παιᾶνας ἀξαῖονς τινάς Θάλητος, de quibus v. Krische p. 39) et φίδαι et μέλη et ἄσματα, in quibus numeranda etiam λέξεις illae ex Homero et Hesiodo excerptae. Sic videmus sect. 110 in medio collocatum, qui nervos pulsaret eumque circumsedentes alios cantandi peritos, qui praeeunte fidium sono concinerent. Ut autem organis, quibus sermo exprimi non potest, animos Pythagorei in diversum habitum afficiebant, ita fiebat nonnunquam, ut omissis etiam cum sermone organis eosdem afficerent et voce et modulatione canentes, haud secus atque ille apud Platonem (Polit. p. 268) pastor, qui omnium optime dicitur solari gregem suum et aures permulcendo mitigare (παραμυθεῖσθαι καὶ κηλῶν περιένειν) aptam naturae ejus musicam tractans μετά τε δέγχανων καὶ ψιλῷ τῷ στόματι: quamquam poëtae quidem in Legg. 2 p. 669—70 vituperantur, quod, quae nequeant nisi musicae et poësis inseitia dissociari, distrahentes nunc modos et numeros separatim a verbis (μέλος καὶ ῥυθμὸς ἀνεὶ ῥημάτων) fingant, nunc nudo et citharae et tibiae cantu (ψιλῇ καθαρίσει τε καὶ αὐλήσι) utantur. Itaque cum Pythagorei interdum ad medendum vel animorum vel corporum morbis non verba sed vocum tantummodo incantamenta adhiberent, sicut etiam Euripides in Hippol. v. 480 ἐπωδᾶς distinguit a λόγοις θελυτηρίοις, dicuntur ἐπωδοντες ὡς ἀληθῶς; unde probabile esse, nomen istud (τοῦνομα τοῦτο), quod nisi commemorata jam ἐπωδὴ esset, non haberet, quo apte satis referretur, nomen igitur incantationis in communem usum transiisse.

Quemadmodum igitur Pythagorei suas habebant ἔχαρτύσεις s. καταρύσεις, suas ἐπαφὰς, συναγμογὰς, καθάρσεις, ἐπανορθώσεις, quibus, ut est in Lysidis epistola, sicut tintores vestimenta coloribus imbuenda prius purgata solent medicamentis inficere (προεκαθάρσαντες ἐστυψαν), ne tinturam imbibant exolutiram, ita Pythagoras animos philosophiae amantium, ne, quos speraverat honestos bonosque fore, spem suam fallerent, pertentabat antea et praeparabat (προπα-
ρεπενείαζε) — unde quem discrepantem vidisset ab instituti sui ratione, abigebat tanquam alienigenam et peregrinum Jambl. s. 64. 68. 71. 72. 76. 94—5 —: sic Christiani dicuntur tum demum in coetum suum admittere novitos, ἐπαν-

δοκῶσιν αὐταρχῶς — ἐπιδεδωκέναι πέρδε τὸ Θέλειν καλῶς βιοῦν, quod est fere apud Jamblichum 94 εἰ — ἐξητυμένοι ἐφάνοντο τοῖς ἀγαθοῖς ἡθεῖ. Neminem enim paulo consideratiorem puto passurum esse a Valesio ad Eusebii H. e. 6, 3 se rapi in eum errorem, ut βιοῦν opinetur posse de seculari vita accipi. Scilicet Valesius, quem ibi τὰ πολλὰ γέδυματα prope dicam εἰς μανίαν περιτέμπει, ad Eusebii verba ὃς μετὰ τὸ βιῶντας καὶ μαρτυρεῖσθαι θεῖσιν κατεκοσμήθη docet βιοῦν, cuius verbi vim ac proprietatem non intellexerint interpres, Christianos scriptores dixisse pro eo, quod est secularis vitam agere. Quodsi hac de significatione faciles nos haberet ad concedendum, quamquam ex Epiphanio quidem frustra Petavius, cui nimium adjungit auctoritatis, exempla conatus est eruere, ecquis tandem est, cui unquam sit persuasurus, τὸ βιῶντας adjecto καλῶς non pertinere universe ad eos, qui vitam sancte et honeste egerint (*τοὺς καλῶς καὶ στίσις βιώσαντας* Plat. Phaedr. 113 D.), sed singulatum ad vitam laicorum? Nam in quibus causae sua firmamentum ac robur quoddam ponit, sequentia Eusebii verba de Heraclia, ὃς δὴ καὶ αὐτὸς παρὰ αὐτῷ πλείστην φιλόσοφου βίον καὶ ἀσκήσεως ἀπόδειξιν παρασκήνων τῆς Ἀλεξανδρέων μετὰ Δημόκριτον ἐπισκοπῆς ἀξιοῦται, infirmant eam prorsus ac debilitant. Non enim φιλόσοφος βίος καὶ ἀσκήσις solorum clericorum est, sed, quem usum a Judaeis graece scribentibus veteres Christiani videntur mutuati esse (cf. J. A. Ernesti prolus. de philosophia vitae), omnium, quicunque cum sanctitate et castimonia Christianis digna aetatem agunt, in eamque rem satis firmo debebat testimonio esse vel unus locus Hist. Eccl. 2, 16 ubi per Marcum evangelistam Alexandriae traditur magna et virorum et mulierum (*ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν*) multitudo in ecclesiam congregata esse δι' ἀσκήσεως φιλόσοφων τε καὶ σοφοδοτάτης, qua cap. sequ. fideles φιλόσοφεῖν dicuntur, quamque Nicephorus τὴν δι' ἀσκήσεως αὐτῶν φιλόσοφίαν καὶ ἀγωγὴν vocat. Num quis velit mulieres istas in clericorum numero habere? *) Deinde parum diligenter ad verba καὶ αὐτὸς παρὰ αὐτῷ attendit animum Valesius. Declarant enim Heraclam et ipsum eodem modo quo fratrem Plutarchum vixisse honeste (*βιῶντας καλῶς*) idque apud Origenem, in eius disciplinam se tradiderat: quo disciplinae tempore, eum nondum receptus esset in clericorum ordinem, nec virtutibus clerici nedum episcopi excellere poterat.

